

*Effulsi sydus vitæ, Colcestrialumen
Septem climatibus lux radiosa dedit.
Sydus erat Constantinus, decus imperiale,
Servit huic flexo poplite Roma potens.*

Mulier illa sane fuit sanctissimis moribus, & infracta animi constantia in religione Christiana propaganda, unde in antiquis inscriptionibus PISSIMA, & VENERABILIS AVGVSTA passim nominatur. Sub hoc, ubi *Coln flu.* mari immiscetur, S. Ofithæ extat oppidulū, cujus antiquum nomen *Chic* abolevit regia illa virgo Ofitha, quæ tota Deo defixa, à Danicis piratis ibi confossa Sanctæ honores apud majores obtinuit, & in ejus memoriam ædem sacram posuit Richardus Episcopus Londinensis circa annum M C XX, quam Canonicis regularibus implevit. Nunc vero sedes est primaria honoratissimorum Dominorum *Darcy*, qui de *Chich* dicti, quos ad amplissimam Baronis dignitatem Rex Edwardus Sextus provexit.

S. Ofithæ.
Chic.

Barones
Darcy de
Chiche.

Nesse.

Hinc vaste projectum littus ad *Nesse* promontorium, Anglo-Saxonice *eaupher-ness*, protuberat. Quid hoc in loco repertum fuit, habet ex verbis & fide Radulphi de *Coggeshall*, qui ante annos CCC L scripsit, Temporibus Regis *Richardi*, in littore maris, in villa que vocatur *Edufinesse* inventi sunt duo dentes cujusdam Gigantis, tantæ magnitudinis, ut ducenti dentes quos nunc habent homines, ex his secari possent. Hos apud *Coggeshall* vidimus, & admirando contractavimus. Et nescio quid aliud Giganteum primis R. Elizabethæ annis à nobili R. *Candish* juxta hunc locum effossum. Nec diffitebor ego quin fuerint homines qui ob molis magnitudinem & roboris firmitatem, miracula erant; quos Deus, ut habet B. Augustinus, extitisse voluit, ut doceret, tam pulchritudinem corporum, quam staturæ magnitudinem in bonis non esse numeranda, cum non minus piis, quam impiis sint communia. Suspiciari tamē liceat quod Suetonius scripsit, prægrandia immanium belluarum membra & alibi, & hoc etiam in regno inventa, *Gigantum ossa* vulgo dicta & habita fuisse.

Gigantes.
Gigantum
ossa.

Ab hoc promontorio paulatim reflectitur litus, ad *Stouni* ostium, anno D CCC LXXXIIII navali bello inter Anglos & Danos memorandum: ubi nunc *Harewich* tutissima statio, unde & nomen: nam *hare-pic* Saxonice stationem vel finem ubi exercitus agit, denotat. Ille *Stounus* est qui *Essexiam* & *Suffolciam* pro limite intermeat, & ab hac parte præter opimos agros nihil alluit. Sed non procul ab ejus fonte est *Bumsted*, quem per *Baroniam* tenebat familia de *Helion*: & qua hæc regio Cantabrigienses spectat, *Barklow* quatuor jam tumulis aggestis notum ostenditur, cujusmodi, occisis militibus, quorum reliquiæ non faciles erant repertu, ut aliqui volunt, extruxit antiquitas. Verum cum quintus & sextus ex his jam pridem defoderentur, tria, ut accepimus, è saxo sepulchra, & in illis contracta hominum ossa sunt inventa. Aggestos vero post prælium ibi contra Danos commissum rustici ferunt. Ebulum enim, quod sanguineis baccis hic circumquaq; copiose provenit, non alio nomine quam *Danes-blond*, id est, *Danicum sanguinem*, etiamnum appellant, ob multitudinem Danorum, qui ibidem ceciderunt.

Harewich.

Barklow.

Tumuli
antiqui.
Vide pag.
174.

Danes-
blond.

Walden.

Mandevilles
vulgo
vocantur.

Walden à croco denominatum *Saffron Walden* emporium paulo est inferius inter agros blandissimo croco ridentes, præclarum olim *Magnavillanorum* castello, quod nunc fere disparuit, & mo-
Britannia.

nasteriolo adjacenti, in quo *Magnavillani* fundatores sepulti. Galfredus de *Magnavilla*, primus quasi vitam dedit huic loco. Matildis enim Imperatrix hisce verbis, ex ejus diplomate transcribo, dedit illi *Neuport* (hoc vicinum est oppidum haud exiguum) pro tanto quantum reddere solebat die qua Rex H. pater meus fuit vivus & mortuus, & ad removendum Mercatum de *Neuport* in castellum suum de *Waldena* cum omnibus consuetudinibus quæ prius mercato illi melius pertinuerunt, in theloneo, passagio, & aliis consuetudinibus, & ut via de *Neuport* que sunt juxta littus aqua dirigantur ex consuetudine ad *Waldenam* super foris facturam meam, & Mercatum de *Waldena* sit ad diem Dominicam, & ad diem Jovis, & ut feria habeatur apud *Waldenam*, & incipiat in vigilia Pentecostes, & duret per totam hebdomadam Pentecostes. (Iam inde ab isto mercatu *Chepping Walden* diu est dicta. In libro etiam *Waldenensis* hujus monasterii *Waldenam* ille ut totius honoris sui & Comitatus caput & sedem sibi suisque constituit. Locus ubi monasterium construxit erat aquis irriguus, quæ ibi jugiter manantes oriuntur, nullo tempore deficientes. Solis orientis radios tardius recipit, occidentis vero citius amittit, montibus ex utraque parte objectis. Nunc *Audley* end loco illi nomen est, à T. *Audlæio* Angliæ Cancellario, qui monasterium in suam habitationem commutavit. Hic *Baro Audley* de *Walden* ab *Henrico Octavo* creatus unicum reliquit filiam & hæredem *Margaretam*, uxorem secundam *Thomæ Howard* Ducis *Norfolciæ*, è qua *Thomam*, *Guilielmum*, *Elizabetham*, & *Margaretam* progenuit. *Thomam* vero illum rei navalis gloria celebrem Regina *Elizabetha* ad Comitiam *Parlamentaria* anno MDLXXXVII inter regni *Barones* evocavit titulo *Dominus Howard de Walden*. Nuperque Rex *Jacobus* gladio Comitatus *Suffolciæ* cinxit, & sibi *Camerarium* constituit. Prope cujus ædes ad *Chesterford*, multo vetustior urbecula erat, juxta *Icaldune*, in ipso agri termino, quam nunc ab *Burgo* antiquo, *Burrow banke* rustici vocitant, ubi intermortui oppidi solummodo supersunt vestigia, & ipsorum mœnium expressus tractus. *VILLAM* tamen *FAVSTINI* fuisse, quam *Antoninus* in hoc tractu locat, non dixerò, & quanquam

*Ingrati leti spatia detinet campi,
Et rure vero, barbaroque letatur:*

Non tamen ausim vel somnare hanc esse illam *Fausini Villam*, quæ istis & aliis versibus à lepidissimo *Martiale* inter *Epigrammata* depingitur. *Croco* sativo hic, ut dixi, agri circumquaque sunt blandissimi, mense enim *Julio*, 3 quoque anno, cum bulbi fuerint eruti, & post viginti dies, ingesta gleba reconditi, sub finem *Septembr.* florem cyaneum fundunt, è cujus medio tria flamma stamina *croci* (*Chives* nos vocamus) dependent, quæ bene mane ante solis exortum decerpuntur, & è flore extracta, lento igne siccantur. Tantusq; est proventus, ut è singulis jugeribus octoginta, vel centum plus minus *croci*, dum humidum est, pondo colligantur, quæ siccata ad viginti pondo conficiunt. Quodque magis mireris, solum quod tres continuos annos *crocum* protulit, hordeum sine stercoreatione annos octodecim affatim profundet, denuoque *crocum* non recusabit.

Baro Aud-
ley de
Walden.

Burrow
banke.

Crocom.

Magis ad Austrum *Clavering* locum habet, quod Rex *Henricus Secundus* cum titulo *Baroniæ* dedit *Roberto Fitz-Roger*, (à quo familia de *Evers-*
V u u stem-

Barones
de Clave-
ring.